



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,  
Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

De gratiis agendis super his, 7

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](#)

mihi, & quomodo eram ostendisti. Quia & cum ego nondum hoc noscere poteram ; alios qui pro me noscent , & postea meipsum antequam postularem , hæc omnia docuisti ; plumbum trahens , & onus gravans , & hostes impellentes rejecisti. Quia peccatum, in quo natus & conceptus eram , & damnationem ejus , amovisti , & malignos spiritus neminem animæ meæ facerent , prohibuisti. Christianum me fecisti vocari de nomine tuo , per quod & ego confiteor , & tu cognoscis me inter redemptos tuos , & erexisti & elevasti me ad notitiam & amorem tuum. Fecisti me confidere de salute animæ meæ , pro qua dedisti animam tuam : & mihi , si te sequerer , promisisti gloriam tuam. Et ecce , cum nondum sequar te , sicut consuluisti , sed insuper multa peccata fecerim , quæ tu prohibuisti : adhuc expectas , ut te sequar , & dones quod tu promisisti.

## C A P V T VII.

*De gratiis agendis super his.*

1. **C**onsidera anima mea : Intendite omnia intima mea , quantum illi debat substantia mea tota. Certe Domine , quia me fecisti , debedo amori tuo meipsum totum ; quia me redemisti , debedo meipsum totum : quia tantum promittis , debedo meipsum totum : ima tantum debedo amori tuo plus quam meipsum , quantum tu es major me , pro quo dedisti teipsum , & cui promittis teipsum. Fac ( precor ) Domine me gustare per amorem , quod gusto per cognitionem.

Sentiam

Sentiam per affectum, quod sentio per intellectum. Plus debo quam me ipsum totum; sed nec plus habeo, nec hoc ipsum possum per me reddere totum. Trahe me, Domine, in amorem tuum, & hoc ipsum totum. Totum quod sum, tuum est conditione: fac totum tuum dilectione.

2. Ecce, Domine, coram te est cor meum: conatur, sed per se non potest. Factu, quod ipsum non potest. Admitte me intra cubiculum amoris tui, peto, quaro, pulso. Qui me facis petere, fac & accipere: Das querere, da invenire: Doces pulsare, aperi pulsanti. Cui das, si negas petenti? Quis invenit, si querens frustratur? Cui aperis, si pulsanti claudis? Quid das non oranti, si amorem tuum negas oranti? A te habeo desiderare, a te habeam impetrare. Adhaere illi, adhaere importune, anima mea. Bone Domine, pie Domine, ne rejicias eam: fame amoris tui languet; refocilla eam: satiet eam dilectio tua, impinguet eam affectus tuus, impleat eam amor tuus, occupet me totum, & possideat me totum; quia es tu cum Patre & Spiritu sancto Deus solus benedictus in sacula sacerdotum. Amen.

B. A N-